



D A G O B E R T I R E G I S

117

erat inibi obtenta martyrum frequentia miraculorum vt quibuscunque infirmitatibus oppressi vndique aduentantes deuoto animo eundem locum expeterent, sanitate reddita, cum gaudio ad propria remearent. Quod cernens rex, quidquid in thesauris suis pretiosius inueniri poterat, ad exornandum ipsum locum indubitanter offerebat. Nam & matriculam (z) & Xenodochium ceteraque diuersa loca ad hoc idem instituit, vt pauperes vtriusque sexus siue etiam qui sanctorum ope sanitate donari digni fuissent, in reliquum ipsius eleemosinis sustentati qui vellent in seruitio ecclesiae ac si pro gratiarum actione permanerent.

(z) matriculam] proprie dicebatur liber ille, in quem pauperes, qui ecclesiasticis stipendiis alebantur, adscripti erant. inde quoque dicitur pro domo, in qua alebantur pauperes, quales ad basilicarum ostia sepe erant extructa.

H 3

CAPVT